

(gr. *κυπρίνος*<sup>3)</sup>) war Plinius durchaus bekannt; im 9. Buch (58) spricht er von ihm als einem Meeresfisch. In dem erwähnten Katalog aber, der doch Vollständigkeit beansprucht (32. 142f.), fehlt dieser Ausdruck zur Überraschung des heutigen Lesers, wenn wir den Handschriften glauben wollen. (b) Der Fischname *dentix* kommt zwar an keiner anderen Stelle der *naturalis historia* vor, doch ist es höchst unwahrscheinlich, daß er Plinius entgangen sein sollte. Dieser Fisch war nämlich so bekannt, daß man seinem Namen keine weiteren Erklärungen hinzufügen mußte, wenn man von ihm sprach (vgl. Colum. 8. 16. 8; Apic. 4. 2. 31; 10. 2. 12–13).

Was das Paläographische betrifft, so ist die Verschreibung (Auslassung einer Silbe) von *cyprinos* zu *cynos*, verursacht durch das vorhergehende *cynops* (möglicherweise auch durch die Erinnerung an Pflanzennamen wie *cynosorchis*?), nichts Ungewöhnliches; sie führte dann dazu, daß das nachfolgende *dentix* nicht mehr als eigenes Wort erkannt wurde.

Mit dem vorgeschlagenen sehr leichten Eingriff in den überlieferten Text vertreiben wir aus der *naturalis historia* einen lästigen Eindringling und befreien Plinius von dem Vorwurf, er sei an zwei unnötigen Ungereimtheiten schuld. Empfiehlt es sich da nicht, diese kleine Änderung vorzunehmen?

## De Germaniae vocabulo (Taciti *Germaniae* 2,5)

Conscripsit ALLAN A. LUND, Rønde, (Dänemark)

Permagnam esse numerum eruditorum, qui proximis saeculis de Taciti *Germania* scripserint, innumerabilesque esse quaestiones huius opusculi, quae adhuc disceptentur, quis est, quin sciat?<sup>1)</sup> In rebus difficillimis non solum *Germaniae*, verum totius etiam Latinitatis explicandis nunc ut antea inest sententia illa, quae Germanice 'Namensatz' appellatur<sup>2)</sup>. Praeter ceteros viros doctos,

<sup>3)</sup> Vgl. D'Arcy W. Thompson, *A Glossary of Greek Fishes*, London 1947, 135–136.

<sup>1)</sup> Vide e.g. Tacitus *Germania* I + II, edd. N. W. Bruun & A. A. Lund, Århus 1974; R. Hanslik: Tacitus 1939–1972, *Lustrum* 1971–72/16, 229–255, qui index complura opera et articulos de Taciti *Germania* scripta continet.

<sup>2)</sup> Vide de ea re indicem ab Hanslik compositum, quem supra (nota I) commemoravi.

qui hunc locum, ut ita dicam, desperatum atque interpretum coniecturis vexatum expedire frustra conati sunt, Eduardus ille Norden summa excellit eruditione, semperque opus illud magnum, quod de Taciti *Germania* sola hac ex sententia ortus composuit, in philologia florebit manebitque<sup>3</sup>).

Locum, de quo agitur, mihi omnem infra referre necesse videtur secundum divisionem Eduardi Norden, ut penitus in rem introspicere liceat<sup>4</sup>). Ea enim lex semper observanda est legentibus Taciti aureum libellum, ut non modo quaestio ipsa, de qua disseritur, sed etiam contextus rerum verborumque totus diligenter considerandus sit.

A. (2) Ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos, quia nec terra olim sed classibus advehebantur qui mutare sedes quaerebant et immensus ultra utque sic dixerim adversus oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta, Germaniam peteret informem terris asperam caelo tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit.

B<sup>1</sup>. (2,2) Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est, Tuistonem deum terra editum; ei filium Mannum, originem gentis conditoremque, Manno tris filios assignant, e quorum nominibus proximi oceano Ingaevones, medio Hermiones, ceteri Istaevones vocentur. quidam, ut in licentia vetustatis, pluris deo ortos plurisque gentis appellationes, Marsos Gambrivios Suebos Vandilios affirmant, eaque vera et antiqua nomina. (2,3) ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint ac nunc Tungri tunc Germani vocati sint; ita nationis nomen non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox etiam a se ipsis invento nomine Germani vocarentur.

B<sup>2</sup>. (3) Fuisse apud eos et Herculem memorant primumque omnium viro- rum fortium ituri in proelia canunt. sunt illis haec quoque carmina quorum relatu, quem barditum vocant, accendunt animos futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur: terrent enim trepidantve, prout sonuit acies, nec tam vocis ille quam virtutis concentus videtur; (3,2) affectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur, obiectis ob os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. (3,3) ceterum et Ulixen quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur ab illo constitutum nominatumque; aram quin etiam Ulixi consecratam adiecto Laertae patris nomine eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam graecis litteris inscriptos in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc extare. (3,4) quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

<sup>3</sup>) E. Norden: Die germanische Urgeschichte in Tacitus Germania, Darmstadt 1959.

<sup>4</sup>) E. Norden: Op. cit. ad 3, 42sqq.

C.(4) Ipse eorum opinionibus accedo qui Germaniae populos nullis aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. unde habitus quoque corporum, tamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida. laboris atque operum non eadem patientia, minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam caelo solove assueverunt.

In universum aestimanti dubium esse non potest, quin res recte a Norden expositae sint. Errat autem, cum affirmat Tacitum nusquam, quid sentiat, in partibus B<sup>1</sup> et B<sup>2</sup> proferre<sup>5)</sup>. Quamquam prima facie non sic esse videtur, tamen Tacitus noster eiusmodi affert argumenta, quibus opinionem suam Germanos esse indigenas confirmet. Primo enim dicit homines veteres, cum demigrare vellent, non per terram, sed mari vehi solitos esse. Itaque verisimile non Tacito videbatur alienas gentes Germaniae populos adisse, quoniam etiam eius temporibus perpaucae tantum naves eo pervenirent. Deinde altero usus argumento, quod ei aequalibusque illius aetatis credibile erat, fidem rei addere conatur: Quis Germaniam peteret, nisi sibi patria esset? Tum tertium et multo maioris momenti argumentum addit, quod quidem Norden multique editores *Germaniae* capitulo a superioribus partibus, quamquam inter sese arcte coniunctae sunt, perperam distinxerunt separaveruntque. Refert enim Tacitus Germanarum nationum ethnogoniam, quae ethnogonia eadem est atque origo humani generis, i.e. anthropogonia. Quod argumentum apud veteres ethnographos ceteris multo maioris ponderis erat, quippe cum affirmarent, qui terram ipsam incolerent, eos pro certo scire debere, unde orti essent<sup>6)</sup>. Nunc demum textus capitulo distinguendus est, quantum ad sensum attinet! Sequitur iam capitulum, quo Tacitus nobis aliorum auctorum opinionem a sua aversam fert. Incipit his fere verbis: „*quidam . . . affirmant*“.

<sup>5)</sup> E. Norden: Op. cit. ad 3, 46.

<sup>6)</sup> Confer E. J. Bickerman: *Origines gentium*, Classical Philology, XLVII, 1952, 65–81, praecipue p. 75: “A new methodical approach was necessary. It is fitting that it should appear for the first time under the pen of Caesar. His solution is simple: to reproduce the native account: *Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant idque ab druidibus proditum dicunt*. He discovers the British Isles, and tells about the inhabitants. *Britannia pars interior ab iis incolitur quos natos in insula ipsa memoria proditum dicunt, maritima pars ab iis qui . . . ex Belgio transierunt*. It was so to speak a Copernician discovery. For the learned theories which reduced all pre-history to a prolongation of Greek mythology, this new method substituted the pragmatic approach of accepting the native tradition.”

In parte B<sup>1</sup> (2, 2) haec verba 'ut in licentia vetustatis' et in parte B<sup>2</sup> (3, 3) usus adiectivi 'fabulosus'<sup>7)</sup> nos non falsis de rebus certiores facit, sed inducit, ut potius ad mythologiam quam ad historiam referenda recte intelligamus<sup>8)</sup>. Est et alia res, ut mihi videtur, digna, quae observetur: A melius coniectura, C rectius conclusio nominari potest. Iam in primo *Germaniae* capitulo, ubi Tacitus descriptione brevi terrae data efficit, ut fines Germaniae naturales, i.e. flumina et montes et mutuus metus appareant, eas res demonstrare, quas vult, incipit<sup>9)</sup>.

Altero in capitulo, sicut vidimus, nobis coniecturam suam protulerat, quam mox pluribus et haud parvi ponderis argumentis confirmavit (2, 1-2, 2). Tum in parte B<sup>1</sup> (2, 3) opiniones aliorum rerum scriptorum multum a sua differentes refert. Dicunt enim hi incerti auctores et aliam ethnogoniam et plures appellationes gentis extare. Praeterea affirmant nomen ipsum *Germaniae* recenter inventum esse. Pergunt dicere et Herculem et Ulixem eo pervenisse errantes. Eoque credibile est gentem Germanorum non esse sinceram, sed mixtam!

Quonam igitur modo mutationem orationis iam rectae iam obliquae explicandam censeamus? Saepenumero cogitanti mihi, cur Tacitus hoc genere dicendi usus sit, una tantum venit in mentem res, qua liceat nos rationem eiusmodi compositionis intelligere. Cum enim Tacitus eo in capitulo orationem directam cum obliqua commutet et versa vice, causa ea esse videtur, ut fontes quoque, quos ad primas *Germaniae* partes componendas adhibuit, mutantur, i.e. persuasum mihi habeo usum orationis rectae significare Tacitum hic fontes optimae fidei consultasse, usum vero orationis obliquae eum hoc loco alios auctores minoris fidei adisse. Quo id etiam planius faciam: credo fontes primos continuisse verba ac res, quae etiam Taciti temporibus demonstrari potuissent, si quis tum in *Germaniae* terras abisset, ut res ipse suis oculis cerneret: usum vero fontium secundorum significare Tacitum iam verba referre aliorum auctorum, i.e. Romanorum rerum scriptorum. Distinguen-

---

<sup>7)</sup> Similiter utitur Tacitus hoc adiectivo in *Germania* 46, 4: *cetera iam fabulosa: Hellusios et Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere.*

<sup>8)</sup> Confer R. Häussler: Tacitus und das historische Bewußtsein, Heidelberg 1965, 191; N. W. Bruun & A. A. Lund: Op. cit. ad 1, I, 10.

<sup>9)</sup> Confer W. Steidle: Tacitusprobleme, Museum Helveticum 22, 1965, 81-95, praecipue 84sqg.

dum igitur est inter usum fontium primorum (Primärquellen) et fontium secundorum (Sekundärquellen)<sup>10</sup>).

Quae cum ita sint, nulla est causa, cur non arbitremur Tacitum hic schema sive modum scribendi, ut ita dicam, mechanicum secutum *non* esse<sup>11</sup>). Pluribus enim rebus in utramque partem disputatis probat Germanos nihil aliud nisi gentem tantum sui similem esse.

Est enim quaestio, quae cum his temporibus valde a viris doctissimis archaeologiae disseritur, tum etiam illis a viris eruditissimis disceptabatur. Hoc loco neque haesito neque erubesco in lucem proferre, quid sentiam e.g. de quaestione illa originis veterum Tuscorum. Quam rem ab antiquis iam valde vexatam etiam ab harum rerum peritissimis huius aetatis adhuc investigari, quis est, quin audiverit?<sup>12</sup>) Archaeologi quidem certe nescire videntur se eodem, quo antiqui, modo hunc locum, ut aiunt, communem tractavisse<sup>13</sup>).

Tacitus deinde aliud argumentum opinioni suae contrarium proferat, quo licet intelligere et aliam traditionem extare, qua etiam Marsi, Gambrivii, Suebi, Vandilii vera et antiqua nomina gentis sint. Cui argumento aliud adiungitur idque unum omnium periculosissimum coniecturae Taciteae. Scribit enim Tacitus noster haec verba *'ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum'*, ubi plane verbo *'ceterum'* cum sensu adversativo utitur, quae res e verbis *'recens et nuper'* liquet, quae contrarium habent sensum ac verbum *'antiquus'*, quod supra scripserat, quodque e positione verborum *'Germaniae vocabulum'* planum fit<sup>14</sup>).

<sup>10</sup>) Confer op. cit. ad 6.

<sup>11</sup>) E. Norden: Op. cit. ad 3, p. 56: „Wie alle literarischen Gattungen des Altertums, so ist auch die ethnographische einer Typologie verfallen. Das von einem Beobachter über ein bestimmtes Volk Ausgesagte wurde von einem anderen auf ein anderes Volk übertragen.“ Quam vero sententiam iam altera in editione (Urg. XII) haud paulum mutavit ita dicens: „Die Übertragung ethnographischer Wandermotive ist, —, in der guten völkerkundlichen Literatur des Altertums niemals mechanisch.“ Vide porro W. Steidle: Op. cit. ad 9, 81–95 et N. W. Bruun & A. A. Lund: Op. cit. ad 1, I, 20sqq.

<sup>12</sup>) Confer J. Heurgon: *Dagligt liv hos etruskerne*, editionem Danicam, København 1970, p. 11sqq.; vide etiam F. Schlette: *Werden und Wesen frühgeschichtlicher Stammesverbände*, Zeitschrift für Archäologie 5, 1971, praecipue 26sqq.

<sup>13</sup>) De notione loci communis vide E. Mertner: *Topos and Commonplace*, *Strena Anglica*, Festschrift für Otto Ritter, Halle 1956, 178sqq.

<sup>14</sup>) Cfr. E. Kraggerud: *Verknüpfung in Tacitus' Germania*, *Symbolae Osloenses* 47, 1972, 7sqq.

Nobis has res agentibus dissimulandum non esse videtur id verbum vocabuli in coniunctione '*Germaniae vocabulum*' nihil aliud esse nisi variationem sermonis<sup>15</sup>). Quod autem ad usum perfecti passivi attinet, '*additum*' dico, est ea res nullo modo negligenda, immo vero digna, quae bene observetur. Cum enim hic Tacitus voce passiva utatur, re vera dicit nomen Germaniae (sc. = Germanis)<sup>16</sup>) inditum esse a nescioquo<sup>17</sup>). Quae res parva quidem est, sed, ut infra videbimus, magni momenti.

Eas, quas supra demonstravimus, res inter omnes viros doctos constat, immo vero constare debet. Quantum ad reliquas eiusdem capituli partes attinet, dissimulare non volo opiniones doctorum aliam ab alia longissime abesse.

Ut iam Norden demonstraverat, est pars inferior capituli, de quo agitur, sic composita, ut singulae sententiae inter sese optime congruant<sup>18</sup>):

*ut omnes  
primum a victore ob metum,  
mox etiam a se ipsis invento nomine  
Germani vocarentur.*

Si a compositione membrorum congruente, in quam Norden recte animum intenderat, exorsi erimus, reperiemus fere haec: *primum* cum *mox*, *a victore* cum *a se ipsis*, coniunctio praepositionis *ob metum* cum ablativo causae *invento nomine* bene conveniunt. Quam mutationem praepositionis (usus grammaticalis ut vocatur) cum proprio usu casus (usus semantico-syntacticus ut nominatur) saepius apud Tacitum invenimus.

Usque hoc libenter Eduardum Norden sequi eique consentire facile possumus. Cum autem Norden, ut eo verbo utar, arte quadam nisus, id quod male convenit constructioni congruenti ab ipso optime observatae, velit praepositiones *a* hic duo diversos usus

<sup>15</sup>) Vide E. Norden: Op. cit. ad 3, 313, nota I.

<sup>16</sup>) Cfr. J. G. C. Anderson: Cornelii Taciti De origine et situ Germanorum, Oxford 1938, 43: "Germaniae vocabulum: the name of the country is substituted for that of the people in order to avoid confusion between the generic and the tribal signification of *Germani*."

<sup>17</sup>) De natura vocis passivae vide H. Hartmann: Das Passiv, Heidelberg 1954; E. Wistrand: Ueber das Passivum, Göteborgs Vetenskaps Samhälles Handlingar. A: 1, 1941-43 (= E. Wistrand: Opera Selecta, Stockholm 1972, 59sq.); A. Scherer: Handbuch der lateinischen Syntax, Heidelberg 1975, 59sq.

<sup>18</sup>) Vide E. Norden: Op. cit. ad 3, 335sq.

syntacticos habere, quamquam cum uno eodemque verbo coniunctae sint, eum non iam sequi possumus. Affirmabat enim Norden *a* particulam in coniunctione verborum '*a victore*' habere vim praepositioni Graecae ἀπό parem (i.e. usus praepositionis proprius), *a* vero in expressione '*a se ipsis*' sensum praebere similem particulae Graecae ἐπὶ (i.e. usus agentis). Cum ita Norden verba explicare conetur, re vera singula membra enuntiationis e corpore contextus quasi vi evellit.

Tali interpretationi verborum textus una res eaque magni ponderis impedimento est: necesse enim est *a* particulam in ambobus casibus eundem sensum eundemque usum syntacticum habere in utraque enuntiatione, si quidem symmetria a Norden recte in medium prolata valet. Res luce clarius ita se habet. Nam scribit Tacitus noster: *primum a victore — mox etiam a se ipsis*.

Cum Norden, Büchner aliique multi viri docti *a* particulae nulla ratione necessaria allata duos diversos usus syntacticos attribuant<sup>19)</sup>, sunt tamen alii, qui cum intellexerint hanc explanationem quasi sensu nudatam esse, malint in utroque casu *a* vim praepositionis assignare. Itaque ut exemplum afferam Melin, qui hoc fere modo locum interpretatus est<sup>20)</sup>: „Zuerst wurden alle mit dem Namen des siegenden Einzelstammes, dann nach sich selbst, d.h. mit dem nunmehr existierenden und immer weitere Geltung gewinnenden Gesamtnamen benannt“. Melin quoque, quamquam maiore ratione nisus ad quaestionem solvendam accesserat, tamen non effecit, ut feliciter textum interpretaretur, quoniam constat Tacitum, quotiens exprimere vult notionem *appellari e*, omnibus locis uti expressione *vocari e*, nusquam *vocari a*<sup>21)</sup>. Si Tacitus timuisset, ne sua verba recte non intelligerentur, quamcumque ambiguitatem seu diversitatem sermonis facillime evadere potuisset, si *e* in loco particulae *a* posuisset<sup>22)</sup>. Quare non habemus, cur quaestione bene deliberata non affirmemus *a* particulam utriusque enuntiationis solum vim

<sup>19)</sup> Nuperrime sic interpretati sunt H. Schmeja: *Der Mythos von den Alpengermanen*, 1968, 71–75; H. Koch: *a victore* (Tac. Germ. 2,3), *Gymnasium* 79, 1972, 32–49; T. Pekkanen: *Tac. Germ. 2,3 and the Name Germani, Arctos*. N.S. 7, 1972, 107–138.

<sup>20)</sup> B. Melin: *Zum Namensatz der Germanen*, *Eranos* 61, 1963, 158.

<sup>21)</sup> F. Knoke: *Bemerkungen zum Sprachgebrauch des Tacitus*, Berlin 1925, 34; Gerber-Greef: *Lexicon Taciteum*, Leipzig 1903 (= Hildesheim 1962), 329 + 1792a.

<sup>22)</sup> Sic F. Focke: *Der Namensatz*, *Satura*, Otto Weinreich zum 13. März 1951 dargebracht, Baden-Baden 1952, 32.

agentis prae se ferre, sicuti iam supra Tacitus erat usus voce passiva: *additum* dico.

Praeter quae iam explicuimus una adhuc restat quaestio, ad quam respondere nobis opus est: potestne *a* particula cum uno verbo coniuncta in una eademque enuntiatione duos varios usus syntacticos habere? Potest! Cum interpretatio Eduardi Norden ex ea sola re penderet, consentaneum erat, ut multam daret operam huic rei demonstrandae. Nullum dubium re vera esse potest, quin eiusmodi exempla inveniri possint, in quibus *a* cum utroque usu syntactico positum est, id quod Norden ipse quoque recte observaverat<sup>23</sup>): „So finden sich denn zwar nicht eben viele, aber sichere Beispiele eines doppelten *a* in verschiedener Bedeutung“. Haud dubie autem erravit Norden, cum crederet exempla, quae collegerat, similia esse nostro. Primum talia secludenda sunt, in quibus *a* particula cum voce passiva iuncta non est. Deinde satis mirari non possum, quomodo animum eius ceterorumque philologorum fugerit *a* particulam in exemplis datis, tametsi duobus eisque iure inter se distinctis usibus praedita esset, tamen longe a nostro distare ideo, quod in omnibus sententiis a Norden auxilio argumentoque adhibitis nomina pendentia e particula *a* differant sensu. Sit satis unum exemplum proferre, cum cetera similiter constructa sint: (Plinius 3, 86) *ante omnes claritate Sicilia, Sicania a Thucydide dicta, Trinacria a pluribus aut Trinacia a triangula specie*. Num fieri potuisset, ut aliquis Romanus hoc exemplum legens non intellexisset *a* particulam cum duobus a se diversis usibus usitatam esse? Non, ut opinor! Causa huius rei ea est, ut nomen in ablativo positum animatum sit, cum *a* particula praebet vim agentis, inanimatum vero est cum praestat vim praepositionis. Itaque recte Wissowa primus omnium negavit opinionem Eduardi Norden veram esse<sup>24</sup>), quamquam ipse non poterat definire, quare res ita sese haberet. Quis est, quin iam viderit exemplum e Plinio depromptum ab illo Taciteo alienum esse, quoniam nos hic cum duobus nominibus, utroque animato, agamus?

Nunc propius ad ipsum locum unum omnium difficillimum interpretatu procedimus: *a victore ob metum*. Primo dicendum mihi esse videtur *ob* praepositionem (i.e. in expressione ‘*ob metum*’) apud Tacitum omnibus i.e. octo in locis unam habere vim eamque

<sup>23</sup>) E. Norden: Op. cit. ad 3, 343.

<sup>24</sup>) G. Wissowa: Die Germanische Urgeschichte in Tacitus' Germania, Neue Jahrbücher 47, 1921, 14sq. praecipue 29sq.



causalem<sup>25</sup>). Cum aliis de causis hoc quoque loco is sensus praefendus videtur, tum maxime eo, quod coniunctionem praepositionis 'ob metum' cum ablativo causae 'invento nomine' congruere ac convenire necesse est, si quidem observatio illa a Norden recte facta digna est, quae mente teneatur. Dissimulare quidem nolo vix verisimile videri nobis, qui nunc sumus, victorem mentuentem appellatum esse<sup>26</sup>). Fortasse autem non erit, cur valde miremur, si Focke duce conicimus Tacitum hic figura sermonis, quae Graece oxymoron vocatur, usum esse<sup>27</sup>). Animum autem eiusdem Focke fugisse videtur, Tacitum non esse auctorem illorum verborum, sed ea e nescioquo fonte a se dissentiente hausisse. Praeterea animadvertendum est *mutuum metum* hic velut alibi veteribus fuisse talem rem, qualis fines faceret<sup>28</sup>). Neque tamen defuerunt, qui negarent rem ita posse explicari, ideoque ad aliam interpretationem dandam confugere coacti sunt. Dicunt igitur verba *ob metum* hic cum sensu finali (i.e. *ob metum iniciendum*) interpretanda esse, quam vero notionem finalem apud Tacitum nusquam invenies cum expressione *ob metum* coniunctam. Qui hanc textus interpretationem proposuerunt, re vera animo ac mente haec volvere atque agere videntur: eam debere esse significationem hoc minime loco, si non, dubium esse non posse, quin textus corruptus sit. Non dubito, quin Koestermann, ut exemplum afferam, talibus cogitationibus animo agitatis signum corruptelae posuerit — et quidem recte<sup>29</sup>)! Winterbottom vero in editione sua recenter in lucem emissa, quam hic locus sit inexplicabilis, satis bene nondum videtur intellexisse<sup>30</sup>).

<sup>25</sup>) Hi loci sunt: Tac. Ann. 1, 1; 1, 68; 3, 40; 5, 6; 12, 51; 15, 73; Hist. 2, 49; 2, 65; cfr. Lexicon Taciteum: Ed. cit. ad 21, 829b; vide etiam Th. L.L. IX, 2, 20, 36f.

<sup>26</sup>) Vide, quo melius intelligas, quid sit *mutuus metus*: G. Rudberg: Zum antiken Bild der Germanen, Avhandlingar utgitt av Det norske Videnskaps-Akademi i Oslo, 1933, Nr. 5, 76–86.

<sup>27</sup>) Cfr. F. Focke: Op. cit. ad 22, 36.

<sup>28</sup>) Exemplum optimum est videre apud Caesarem B.G. 6, 23, 1: *Civitatibus maxima laus est quam latissime circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere neque quemquam prope se audere consistere; simul hoc se fore tutiores arbitrantur repentinae incursionis timore sublato.*

<sup>29</sup>) E. Koestermann: Cornelius Tacitus, Tom. II, Fasc. 2, Germania – Agricola – Dialogus de oratoribus, Leipzig 1970.

<sup>30</sup>) M. Winterbottom: Cornelii Taciti opera minora, Oxford 1975. Hic non erubescio admittere me quoque edentem Taciti *Germaniam* (v. op. cit. ad notam I) non satis penitus in problema penetrasse.

Norden, quod mirere, ut nobis explicet, e cuius nomine Germani vocati sint, eum facit agentem, quae explanatio minus verisimilis videtur, praesertim cum Norden summa vi nobis persuadere conatus esset *a* hic habere vim praepositionis<sup>31</sup>). „Von wem, fragen wir, wurden sie so genannt? Nun, wenn es heißt, jemand sei aus Furcht so und so genannt worden, so ist der ihn Fürchtende sein *ὀνομαδέτης* gewesen. Also, wie es sich auch ausdrücken läßt: die Bestimmung *ob metum* enthält implicite die Angabe des Urhebers der Benennung als logisches Subjekt: *ὁ φοβούμενος (δεδιώς) αὐτούς* hat die Gesamtheit der Germanen so benannt“.

Variae coniecturae a viris doctis factae sunt, ut hic locus difficilimus transitu emendaretur. Simplicissima omnium a philologo Jacobo Grimm proposita est, qui textum sic corrigi volebat, ut lectio *a victore* cum *a victo* commutaretur, quod quidem rectius *a victis* exprimendum erat ideo, ut verba solum ad Gallos referri possent. Quis est, quin videat ea de causa hanc coniecturam necessarie esse falsam<sup>32</sup>)?

Etiam si concederemus verba *ob metum* hic cum sensu finali scripta esse (quod vero contrarium atque alienum ab usu Taciteo est), aliud problema Aetna altius eminet: ad quem referuntur vera verba *a victore*? Est enim haec quaestio plena difficultatibus. Sicut textus nobis traditus est (i. e. *a victore*), habemus nomen in singulari numero positum cum sensu plurali. Quem textum traditum si conservare volumus, interpretantes idem ac coniecturam facimus mente: legimus enim *a victore*, sentimus quidem *a victoribus*<sup>33</sup>).

Quibus dictis omnino negare ausus non sum nomen victoris usquam a Tacito in singulari numero cum sensu plurali positum esse. Sunt enim duo loci, in quibus victor haud dubie cum vi collectiva, ut vocatur, scriptus est: (Hist. 3, 31, 1) *nulla ultra venia omnisque ira victoris*; (Ann. 14, 38, 3) *sine hostili ira et superbia victoris*. Ad quos duo locos dixit Hans Koch recte Norden quidem defendens<sup>34</sup>). „Im kollektiven Singular steht dagegen *der* eine Sieger

<sup>31</sup>) E. Norden: Op. cit. ad 3, 345.

<sup>32</sup>) De reliquis coniecturis factis pauca invenies apud K. Kraft: Zur Entstehung des Namens 'Germania', Sitzungsberichte der wissenschaftlichen Gesellschaft an der Johann-Wolfgang-Goethe-Universität Frankfurt/Main, Band 9, Jahrgang 1970, Nr. 2, 49sq.; ex quo aliae adhuc emendationes, ut vocantur, prolatae sunt: W. Theiler: Drei Vorschläge zum Namensatz der taciteischen Germania, Museum Helveticum 28, 1971, 118sqq.

<sup>33</sup>) Cfr. K. Kraft: Op. cit. ad 32, 56.

<sup>34</sup>) H. Koch: Op. cit. ad 19, 41.

in seiner einmaligen Stellung, nicht individualisiert, sondern gewissermaßen zu einer Institution geworden. . . . Der Sieger zeigt sich als *Instanz* in seiner unbeschränkten Machtvollkommenheit“. Neque tamen credo exempla, quae supra dedimus, ullo modo cum eo, de quo disserimus, comparari posse. Nam in exemplo nostro de certo quodam victore narrat Tacitus, ideoque fieri non potest, ut non adsit nomen aliquod in textu, ad quod victor referatur. Neque tamen defuere, qui affirmarent tale nomen adesse, quamquam in plurali numero positum sit. Errant autem, cum ignorent Tacitumi tantum vocabulo victoris cum sensu colectivo uti, quotiens quas de ipsa notione Victoris loquatur. Praeterea plane nescire videntur neque Tacitum neque quemquam alium usquam nomen victoricum vi collectiva posuisse de certa multitudine victrix scriben, tem<sup>35</sup>). Dr. P. Flury, director generalis Thesauri Linguae Latinae, mihi roganti, num aliud exemplum simile inveniri possit, sic ferme respondit: — „Bei Tacitus steht im vorangehenden Satz der formale Plural *Tungri*, worauf dann der formale Singular *victor* zu beziehen ist. Ein derartiges Beispiel haben wir nicht gefunden, wenn uns nichts entgangen ist. Hingegen gibt es zahlreiche Stellen, wo sich der Singular *victor* dem Sinne nach auf eine Gruppe bezieht“. — Cum res ita sese habeant, tamen Flury mirabile dictu haec colligit: — „Angesichts dieser verbreiteten Verwendung des Singulars in kollektiver Funktion dürfte meines Erachtens auch in dem Namensatz die Beziehung von *victor* auf *Tungri* ohne weiteres möglich sein“.

Res si ita esset, re vera hic ageremus cum innovatione usus syntactici ac lexicographici inaudita et a sermone Latino aliena!

Etsi numerosae sunt coniecturae a philologis omnium saeculorum datae ad hunc locum corruptum emendandum, tamen earum nulla talis fuit, qualis omnia problemata a me supra relata e medio tolleret. Conradus ille Kraft quaestionibus huius loci valde occupatus ipse quoque non erubuit aliam coniecturam facere. Proposuit verba *a pictore* in locum verborum *a victore* succedenda esse! Quare hoc in contextu fieri posset, ut de pictore ageretur, multum aberat, ut verisimile ac planum faceret. Praeterea mihi videtur esse momentum haud alienum a re Tacitum nusquam nomine pictoris usum esse<sup>36</sup>). Equidem dissimulare nolo me nescire, an pictor

<sup>35</sup>) Dr. P. Flury: per litteras 24-10-1975 datas.

<sup>36</sup>) Deest enim apud Tacitum nomen pictoris secundum Gerber-Greef, *Lexicon Taciteum*, Leipzig 1903, 1117.

sensum desideratum a Kraft omnino exprimere possit<sup>37</sup>). Quae cum ita sint, mihi tum de causis ante dictis coniectura ea digna videtur, quae in oblivionem abeat, cum maxime eo, quod ab ipsis praeceptis a Kraft ipso datis multum abhorret.

Nuper Kraft in articulo, quem supra commemoravimus, hac de quaestione scripto ad ipsas corruptelae latebras quam proxime accedere conatus est: „Entweder ist bei *a victore* die Singular-Endung falsch, oder es ist die Singular-Endung richtig und der Anfang des Wortes falsch überliefert“<sup>38</sup>).

Quod autem ad coniecturam attinet, quam censet (id quod consentio) necessarie faciendam esse, haec nobis dat praecepta<sup>39</sup>): „Eine im Sinngehalt plausible Lösung, welche den gleichartigen Gebrauch der Präposition bei *a victore* und *a se ipsis* wahrt, muß den Vorzug gegenüber einer anderen im Sinngehalt gleichfalls plausiblen Lösung haben, bei der aber an den beiden Stellen ein unterschiedlicher Gebrauch der Präposition *a* unterstellt werden muß. Eine im Sinn plausible Lösung, die dem Singular bei *a victore* gerecht wird, muß den Vorzug gegenüber anderen an sich im Sinngehalt ebenfalls plausiblen Lösungen haben, die aber in das *a victore* eine pluralische Bedeutung hineinlegen müssen“.

Alia in parte commentationis suae Kraft accuratius diligentiusque sensum nominum nationis et gentis, quae eo in capitulo insunt, disseruerat. Inter omnes fere constat haec duo verba, quantum ad sensum attinet, in eo differre, quotiens una ponuntur, quod *gens* significet *omnes* nationes, e quibus populus universus constet. Cum separatim vero ponuntur, haec diversitas sensus saepius inveniri non potest, itaque fit facile, ut *gens* pro natione vel versa vice scribatur<sup>40</sup>). (Idem etiam in certo contextu fieri posse consentaneum est, si quidem de variatione sermonis tantum agitur<sup>41</sup>)). Kraft multam dans operam his rebus bene iam ante notis explicandis etiam aliam rem nondum a philologis observatam repperit. Demonstravit iam Charisium grammaticum antiquum aliter ea verba i.e. hoc fere modo definisse: *natio solum patrium quaerit, gens seriem*

<sup>37</sup>) Cfr. Georges: Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch, II, 1962, 1701.

<sup>38</sup>) K. Kraft: Op. cit. ad 32, 54.

<sup>39</sup>) K. Kraft: Op. cit. ad 32, 55.

<sup>40</sup>) Cfr. H. Menge: Lateinische Synonymik, Heidelberg 1959, 128; L. Doederlein: Lateinische Synonyme, Leipzig 1836, vol. 5, 96sq.

<sup>41</sup>) Optimum exemplum in ipsa *Germania Taciti* inest: (Germ. 4) *Ipse eorum opinionibus accedo qui Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur.*

*maiorum explicat.* Non negaverim hanc definitionem, quantum quidem ad contextum, de quo disserimus, pertinet, plus valere quam illam supra datam. Quonam modo interpretanda sunt illa dicta Taciti: ita nationis nomen, non gentis evaluasse paulatim? Si enim rem sic explicas: ita nomen unius nationis, non totius gentis evaluasse paulatim, interpretationem das, quae, si rem bene mente volveris, vana videbitur.

Nunc cum Kraft nobis viam monstraverit, qua procedentes ad solutionem problematis pervenire licet, ea nobis aperta ac plana videtur. Interpretatio autem a Kraft ipso prolata viris doctis omnibus nondum probata est<sup>42)</sup>, id quod haud dubie ita potest explanari eum non rem acu, ut aiunt, tetigisse, sed paululum a proposito aberrasse.

Iam vero in memoriam revocandum puto *nationem* ac *gentem*, cum velut synonyma, quae vocantur, ponuntur, sensu ac vi eo differre (si quidem id scriptor exprimere vult), ut *natio* originem ac situm, *gens* vero magis propinquitatem sanguinis significet.

Kraft autem affirmat coniunctionem verborum *nationis nomen*, *non gentis* semper quasi e contextu separatam a philologis consideratam esse. Unde factum est, ut ad antithesem pravam necesse esset pervenire interpretes, cum dicerent *nationem* hic esse partem gentis eique oppositam. Kraft vero (p. XXXIX) sic res exponit: *nationem* hic eandem esse ac Germanos eam ob causam, ut illo tempore, quo Rhenum transirent, nondum orta esset Germania sive potius vocabulum Germaniae terram omnem complectens: „Es wurde nach der Ansicht jener Gewährsleute (*quidam*) des Tacitus von der Bezeichnung der ersten Eindringlinge zunächst das *vocabulum Germaniae* abgeleitet, d. h., es wurde der geographische Raum rechts des Rheins, woher die als *Germani* bezeichneten Angreifer gekommen waren, als Land der *Germani*, d. i. *Germania* bezeichnet. Dabei ist zu beachten, daß die Bezeichnung *Germani* für die über den Rhein vordringende Gruppe noch nicht als Benennung nach dem *solum patrium* angesehen wird, also in diesem Stadium noch kein *nomen nationis* ist“.

Hic, ut opinor, omnes nobis facile consenserint interpretationem a Kraft datam difficiliorem esse quam ut recta esse possit. Kraft

<sup>42)</sup> Partim quidem interpretatio a Kraft data probatur philologo T. Pekkanen: Op. cit. ad 19. Vide praecipue paginas 122sq. Neque tamen dissimulandum est Pekkanen non satis bene intellexisse, quid sequatur ex interpretatione eiusdem Kraft, articulumque eius quamvis plenum abundantemque illustrationibus plane, quantum ad modum operandi, aberrasse.

enim non satis clare intellexisse videtur difficultatem, quacum contendimus, re vera nihil aliud esse nisi *quaestionem versionis* sive *translationis*. Credo enim dubium esse non posse, quin nos hic disceptemus de nomine (*gentem* dico), quod ut prima facie videtur, duas easque longe discretas ac diversas notiones contineat: populum ac gentem propriam. Re vera longe aliter se res habet. Nam altera notio ab altera seiungenda non est, quippe cum coniunctio verborum *gens Germanorum* de facto eandem notionem exprimat ac. e.g. *gens Iulia*. Quae res tametsi primo difficilis intellectu vixque credibilis tibi videtur, tamen non est, lector benevole, cur mireris, quoniam est, semperque fuit, usitatum multis populis quasdam nationes inter sese quasi intimius coniunctas arbitrari<sup>43</sup>). Quae cogitatio eo respicit, tamquam sint gentes quaedam alia ab alia ortae eodemque sive potius simili, quo propinqui atque affines, modo cognatae.

Fortasse oportet ea, quae supra diximus, argumentis iam confirmari. Primo proferamus exemplum optimum, quo res luce clarius illustretur: (Caes. B.G. 1, 33, 2): *Haeduos fratres consanguineosque saepenumero a senatu appellatos in servitute atque ditione videbat Germanorum teneri*. Eiusmodi expressione non solum utebantur antiqui scriptores gentes barbaras atque exteras describentes<sup>44</sup>), verum etiam narrantes de nationibus domesticis arte ac doctrina imbutis, sicuti ex his verbis liquet: (Tac. Ann. 11, 23, 7) *suffecisse olim indigenas*<sup>45</sup>) (i.e. Romanos origine)<sup>46</sup>) *consanguineis populis*.

<sup>43</sup>) Vide de ea re opus unum omnium florentissimum R. Wenskus: *Stammesbildung und Stammesverfassung*, Köln 1961, 14sq. et passim; praeterea A. Dove: *Studien zur Vorgeschichte des deutschen Volksnamens*, Sitzungsberichte der Heidelberger Akademie der Wissenschaften, Phil.-hist. Klasse 1916, p. 25 nota III et p. 28.

<sup>44</sup>) Vide Fr. Kraner & W. Dittenberger (qui quidem paululum erraverunt!) C. Iulii Caesaris *De bello Gallico*, VII ed. cura Heusel, 1913, 148; O. Hirschfeld: *Die Haeduer und Arverner unter römischer Herrschaft*, Sitzungsberichte der Akad. d. Wiss. zu Berlin 1897, 1105sq.; T. Pekkanen: *Tac. Germ. 2, 3 and the Name Germani*, *Arctos* N.S. 7, 1972, 107–138, inprimis 122sq., qui tamen tum nondum recentiora opera scire videbatur, ut est: R. Wenskus: *Op. cit.* ad 43. Cfr. et G. Mildenerger: *Sozial- und Kulturgeschichte der Germanen*, Stuttgart 1972, 74sq.

<sup>45</sup>) De notione, quae hoc in vocabulo inest, vide I. Komor: *Indigenae an advecti*, *Studien zur Geschichte und Philosophie des Altertums*, ed. per J. Harmatta facta, Amsterdam 1968, 191–196.

<sup>46</sup>) *Secuti sumus haec opera*: Gerber-Greef: *Op. cit.* ad 36, 1563<sup>b</sup>: „die italischen völker seien mit geborenen Römern als senatsmitgliedern zufrieden gewesen, ohne selbst diese ehre zu beanspruchen“ et E. Koestermann: *Cornelius Tacitus Annalen*, Band III, 1967, 75.

Non autem est, cur miremur propinquitatem sanguinis praecipue inter gentes Germaniae multum valuisse ac floruisse (est enim gens Germanorum tantum sui similis ipsa terra nata), ut ex his locis constat: (Tac. Germ. 28, 4) *Treveri et Nervii circa adfectionem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur*. Nunc de Suebis dicendum est: (Tac. Germ. 38, 3) *in aliis gentibus seu cognitione aliqua Sueborum . . .* Alibi quoque dicit similia Tacitus noster: (Germ. 39, 2) . . . *nomini <eiusdem> eiusdemque sanguinis populi legationibus coeunt*.

Quo magis plane faciam nos de origine gentis hoc in contextu agere, afferam verba textus ad id illustrandum pertinentia: (Tac. Germ. 2, 3) *Mannum, originem gentis conditoremque*. Et origo et conditor hoc loco haud dubie auctorem gentis significant<sup>47</sup>).

Quo melius comparare queas, plura mihi exempla promenda credo: (Tac. Ann. 4, 9, 2) *origo Iuliae gentis Aeneas*. Neque hoc occultemus: (Tac. Hist. 5, 4, 4) *Idaeis, quos . . . conditores gentis accepimus*. Porro aliud exemplum mihi dignum relatu videtur: (Tac. Ann. 6, 51, 1) *pater ei Nero et utrumque origo gentis Claudiae (fuit)*.

Sufficiat hic numerus exemplorum! Paria non difficile inveneris. Si diligenter atque accurate, lector benevole, ea, quae supra reddidimus, exempla aspexeris, videbis intelligesque expressionem *gens Romana* vere pro analogia, ut nominatur, habendam. Similis enim imago Romanis antiquis ob oculos versabatur, sive dicebant *gentem Romanam* sive dicebant *gentem Iuliam*. Sequitur, ut notio, quae inest in expressione *gens Germanorum*, re vera eadem sit, quam in coniunctione verborum *gens Iulia* invenimus. Neque tamen nos agere de observatione quadam nova atque omnino inaudita, sed inventionem multis iam ante saeculis facta, quare est, cur dissimulemus? Nam cogitationes similes iam apud Isidorum (dif. ed. Beck, p. 60, 8) reperimus: *genus . . . ad qualitatem refertur tam hominum quam ferarum vel pomorum; gens ad congregationem plurimam ab uno capite descendente, ut 'gens Germanorum'; gentes ad domum . . ., ut 'Flaviae gentes'; nationes in regionibus tamquam 'Hispaniae regiones' vel ceterarum regionum*<sup>48</sup>). Similem observationem et Reeb

<sup>47</sup>) Sic Koestermann quoque in commentariolo Annalium 4, 9, 2 scripto: Op. cit. ad 46, Band II, 1965, 63.

<sup>48</sup>) Textum damus secundum Th. L. L. 6, 1843, 25sq.

fecerat<sup>49</sup>): „Wie bei den Römern *gens* die Gesamtheit der auf einen Stammvater zurückgehenden *familiae* bezeichnet, so auch die Einheit aller *nationes*, die einen gemeinsamen Ursprung haben, z.B. die Gesamtheit der Germanen als Abkömmlinge des Tivisko, 'das Volk' . . .“ Haec interpretatio confirmatur optime vi verborum *nomen — gentis* (i. q. Germanice 'Geschlechtsname').

Secundum ea, quae supra diximus, credo nobis nihil iam restare, quo textum nobis traditum defendamus, ideoque nunc esse tempus mihi videtur accuratius definire, qualis debeat esse coniectura, quam necessarium sit facere. Priusquam ad emendationem proponendam procedimus, pauca mihi dicenda sunt de significatione singulorum verborum sententiae, de qua agitur.

Inter omnes iam constare debere nos de voce passiva una cum *a* agentis, ut vocatur, disserere, quis est, quin viderit? Primum Germani nominantur a victore, deinde a se ipsis quoque, quippe cum *nomen* iam inventum esset (*invento nomine*). Ut vim veram expressionis '*nomen invenire*' reperias, oportet te tantum contextum omnem inspicere. Quod si feceris, certe videbis verba '*nomine invento*' opposita esse verbis '*vera . . . nomina*', id quod plane docet id verbum inveniendi cum sensu *εὐρίσκειν*, ut Graece dicitur, positum. Eandem significationem alibi quoque apud Tacitum convenias<sup>50</sup>). Quae cum ita sint (abhorret interpretatio nostra ab illa a Norden imitatoribusque eius data), credo equidem nos Eduardo Norden<sup>51</sup>) praecipue et Carolo Büchner<sup>52</sup>) auctoribus, quamquam ipsi id plane nescire videantur, etiam propius ad propositum versus progredi posse. Ita Büchner de expressione '*invento nomine*' explicat optime: „ . . . nachdem der Name einmal kreiert ist (zu *invenire* sind Vorstellungen wie der *πρῶτος εὐρετής*, die *inventores* zu denken)“ Quibus dictis consideratisque qua alia ratione iam melius res exponi potest, quam si *nomen* illud, quod quaerimus, re vera idem est ac ipse inventor nominis Germaniae? Tacitum, si id omittere potuisset, duobus verbis tam brevi spatio interiecto etymologice coniunctis bis numquam usum fuisse, quis est, quin sciat? Ne

<sup>49</sup>) Tacitus *Germania*, Mit Beiträgen von A. Dopsch/H. Reis/K. Schumacher, Unter Mitarbeit von H. Klenk, Hrsg. u. erl. von W. Reeb, Leipzig 1930, p. 19.

<sup>50</sup>) Sic Ann. 13, 51, 2.

<sup>51</sup>) E. Norden: Op. cit. ad 3, 337, nota I: „Epid. 229 *quid istae quae vesti quotannis nomina inveniunt nova*: an letzterer Stelle ist es *εὐρίσκειν* im Sinne der *εὐρήματα*-Literatur.“

<sup>52</sup>) K. Büchner: *Die historischen Versuche*, Stuttgart 1955, 302.



plura: propono, ne cogamur signum corruptelae ponere, quod aliter haud dubie necesse esset, pro 'a victore' legendum esse 'ab auctore'. Quae coniectura, si cum ceteris a philologis prolatis eam contuleris, abs te invenietur ea excellere ratione, ut emendatione textus minima opus sit<sup>53</sup>). Quantulum enim distat *a victore* ab *ab auctore* quantum ad modum scribendi! Alia quoque res multum, ne dicam, plurimum valet: haec lectio a ceteris coniecturis propositis differt eo, quod vim ac sensum probabilem praestat. Et alibi apud Tacitum nomen auctoris cum eadem significatione vel simili ei, quam quaerimus, invenitur: (Ann. 15, 44, 3) *auctor nominis eius* (sc. Christianorum) *Christus*<sup>54</sup>). Alio quoque loco cum vi generali inventoris auctor positus est: (Ann. 11, 14, 2) *fama est Cadmum . . . artis eius auctorem fuisse*. Praeterea alia quoque res adest pertinens ad interpretationem et digna, quae commemoretur: hac enim emendatione textus traditi non efficitur, ut contra usum sermonis Tacitei coniunctioni praepositionis 'ob metum' (= metu) assignemus significationem diversam ab ea, quae omnibus locis nullo excepto apud Tacitum praevalet.

Porro coniectura a nobis prolata (i.e. 'ab auctore') a textu tradito (i.e. 'a victore') plurimum differt eo, quod omnino non interest, si ad certum quoddam nomen contextus referatur. At si nil te impedit, lector benevole, quominus e lectione 'a victore' sequatur, ut victor cum sensu colectivo positus sit idemque sit pars omnium Germanorum (quae explicatio rerum, quantum sciamus, ex interpretatione

<sup>53</sup>) Quantum ad palaeographiam attinet, valde verisimile videtur, sicuti ex ipso codice Aes. liquet (cfr. R. Till: *Handschriftliche Untersuchungen zu Tacitus Agr. und Germ. Mit einer Photokopie des Cod. Aesinas*, Berlin 1943). Vide etiam nomen auctoris in „Dizionario di abbreviature latine ed italiane per cura di Adriano Cappelli“, Milano 1967.

<sup>54</sup>) Quamquam usus nominis auctoris (i.e. qui primus movet) in posterioribus Taciti operibus praevalet, tamen nullo modo e prioribus excludi iure potest, sicuti ex his rebus constat (U. Zuccarelli: *Psicologia e semantica di Tacito, Antichita e christiana*, 2, Brescia 1967, 9sq. praecipue 34):

	D	G	A	H	Ann.
auctor (sc. qui movet)	1	—	—	12	20
et ut compares					
auctor (sc. qui scribit)	1	1	1	7	5

Addo ad rem illustrandum pauca quoque exempla de Plinio Maiore de prompta: (15, 54) *sed confessis urbis vocabulis auctores suos nobilitavere Decimiana etc.* (15, 70): *sunt et auctorum nomina iis, Liviae, Pompei.* (25, 29) *Vetustissima inventu Paeonia est nomen auctoris retinet.* Ovid. *Fast.* 3, 733: *nomine ab auctoris ducunt libamina nomen.* Hor. *Sat.* 1, 10, 32: *Romulus ut nominis, ita etiam linguae Romanae auctor videtur esse.*

atque usu colectivo victoris novo et inaudito pendet), tum demum tibi textus traditus defendendus est.

Contra si ab unaquaque coniectura in lucem producta quaeris, ut contineat nomen aliquod, quod referatur ad certum membrum contextus, tum confido textum traditum non iam ullo modo restitutum iri. Itaque melius est signum crucis ponere.

Quibus supra dictis coniecturam a me propositam arbitrio philologorum subicio.

Nunc animum ad aliam vertamus rem, quae paulum ad quaestionem nostram illustrandam valet, quaeque mirabile dictu animum doctorum plane fugisse videtur. Ut supra iam monstravimus, incipit Tacitus his verbis *'ceterum Germaniae vocabulum recens'* usus afferre argumenta contraria atque abhorrentia a suis. Sequitur, ut theoria quoque ibidem proposita Taciteae aversa oppositaque sit. Ex quo perspicuum est nos hac observatione usos posse definire, quid vere senserit Tacitus ipse. Quae res, minima quamquam est, tamen valet ad veram interpretationem sententiae *ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint* dandam. Alii enim textum, tamquam redderet Tacitus imperfectum orationis rectae (i.e. *vocabantur*), alii vero tamquam referret perfectum orationis rectae (i.e. *vocati sunt*), interpretati sunt. Haec interpretatio sine ullo dubio verior illa est ideo, quod Tacito ipsi persuasum erat, sicut supra iam demonstravimus, Germanos sic antiquitus appellari. Inde efficitur, ut Tacitus, si oratione recta usus esset, haud dubie *vocati sunt*, non *vocabantur* scripsisset, quoniam hic nos de opinione aliorum auctorum diversa a Tacitea agimus.

Una tamen adhuc restat quaestio, quam nondum solvere temptavimus: Quisnam fuit ille inventor nominis Germaniae?

Nobis his temporibus iudicantibus sole clarius videtur Tacitum, tametsi ipse multis argumentis ad rem illustrandam se veritatem probavisse arbitraretur, tamen longe ab ea aberrasse. Nam nullum dubium esse potest, quin theoria illa opinioni Taciteae opposita multo propior veritati esset. Inter omnes enim constat numerosa esse exempla gentium, quae illustrent aliam gentem aliam vocasse e nomine unius nationis universam. Ita, ut exemplum afferam, Francogalli finitimos in veteris Germaniae finibus habitantes *Allemands* nominant. Sic totam gentem nomine unice nationis ornaverunt. Ut ad antiquitatem iam vertamus animum nostrum, aliud dare exemplum possum, quod omnibus philologis classicis notum erit: Similiter enim Romani antiqui feruntur nomen impegisse cunctis Graeciam incolentibus populis e nomine singularum

nationum, Graecos dico. Si ex his rebus passim latentibus colligere licet, vix dubitari potest, quin inventor sive auctor nominis Germaniae in sinistra ripa Rheni habitaverit<sup>55</sup>). Ii enim populi, qui dextram ripam incolebant, nullum habebant vocabulum, quo universi se ipsi complectebantur<sup>56</sup>).

## Mytacism in Latin Phonology

By MARTTI NYMAN, Helsinki (Finland)

### §. 1: Introduction

The term *mytacismus* (*moetacismus*, *myotacismus*, *motacismus*) is used by Roman grammarians for the purpose of characterizing a specific type of barbarism or phonetic incorrectness met with in unlearned or foreign people trying to pronounce the Latin final *-m*.

In spite of the fact that the Latin final *-m* has been the object of several studies attempting to clarify its phonetic quality (e.g. Seelmann 1885: 356–357; Gröber 1891; Safarewicz 1933) and, in addition, to determine its phonological status (Safarewicz 1960; Allen 1965), mytacism has not been considered in this connection. Nor is it mentioned in the standard handbooks of Latin historical phonology (Sommer 1914; Leumann 1977). The reason for this curious omission may lie in a bias to consider it as belonging to the domain of rhetoric; e.g. Georges' *Handwörterbuch* gives the following definition, which pertains only to rhetoric: "der häufige Gebrauch, die häufige Einanderfolge des Buchstaben M ( $\mu\bar{v}$ )" (II: 1079). The majority of grammarians, however, use this term in a different sense, as implied by Bickel (1937), Niedermann (1948), and Hofmann (ThesLL 8. 1332. 29–75). Bickel even attempted to relate mytacism to the phonetic history of Latin.

The general failure to relate mytacism to the discussion of the final *-m* is an indication and consequence of the fact that its nature is poorly understood. Mytacism involves at least three problems, and at least two of them still lack a credible answer.

<sup>55</sup>) Cfr. F. Schlette: Werden und Wesen frühgeschichtlicher Stammesverbände, *Zeitschrift für Archäologie*, 5, 1971, 19–38.

<sup>56</sup>) Si vis scire, quid fuerit apud antiquos Romanos notio illa Germanorum, cura ut videas R. Hachmann – G. Kossack – H. Kuhn: *Völker zwischen Germanen und Kelten*, Neumünster 1962; *facilius accessu atque intellectu est* R. Hachmann: *The Germanic Peoples*, London 1971, quod opus vulgo scriptum est.